

## ELENCHUS QUAESTIONUM

quas auctor post primam Neapolitanam operis editionem, rebus ad seduliores trutinam revocatis, reformavit <sup>a)</sup>. In qualibet autem harum quaestionum prius annotatur locus libri primae editionis, postmodum locus secundae <sup>b)</sup>, ubi facta est correctio <sup>c)</sup>.

Quaestio 1. An legatarius possit sibi compensare legatum relictum in testamento non solemni? — In priori libro (*colon. 13*, vers. *Probabile etiam*) relata est opinio Lessii, Molina, Granada, Salmant, etc., qui id probabile dixerunt. Sed in hoc praesenti libro id reprobatur est. Vide *lib. I, n. 35*, v. *Attamen* <sup>d)</sup>.

Qu. 2. An debitor donans aliquid suo creditori, immemor debiti, excusetur a restitutione? — In primo libro (*col. 13*, v. *Hinc I*) relata est opinio Rebelli, Cardenas et Diana, qui probabilem putarunt opinionem affirmativam. Sed vide limitationem in hoc, *Lib. III, num. 700, Qu. 2*.

Qu. 3. An fur mittens domino rem furatam per virum fidelem teneatur ad iterum restituendum, si ille non reddat? — In primo libro (*col. 14*, v. *VI. Similiter*) Palaus, Scotus, Ledesma et Gabriel adducuntur, qui id negaverunt. Sed in hoc absolute affirmandum probatur, *Lib. III, n. 704, Qu. 4*.

Qu. 4. An sit obligatio ex superfluis statui elargiendi eleemosynam pauperibus laborantibus paupertate communi? — In primo libro (*col. 80*, lit. *A*) relata est opinio Soti, Petri Navarra, S. Antonini, Vasquez, etc., qui id negarunt. Sed in hoc melior visa est sententia opposita. Vide *Lib. II, n. 32*, v. *Quaeritur*.

Qu. 5. An sit obligatio corrigendi peccantem ex ignorantia in legem humanam? — In primo libro (*colon. 83*, vers. *Quaeritur hic*) visa est probabilior opinio

negativa. Sed in hoc affirmativa probabilior visa est. Vide *Lib. II, n. 36*.

Qu. 6. An, qui inducit sive directe sive indirecte proximum ad peccandum, semper peccet peccato scandalii. In primo libro (*col. 85*, v. *Quaer. I*) dictum est cum Palao, Sanchez, Bonacina, Azor, etc., probabile esse, quod is non peccet contra charitatem, nisi expresse intendat ruinam spiritualem alterius. Sed in hoc visa est vera sententia affirmativa. Vide *Lib. II, n. 45*.

Qu. 7. An semper in confessione sit explicanda circumstantia inductionis ad peccandum? — In primo libro (*col. 86*, v. *Nota tamen*) reprobata est sententia negativa. Sed in hoc vide dicta *Lib. II, n. 46*.

Qu. 8. An sit peccatum mortale, petere ab aliquo quidquam, quod ille non praestabit sine mortali, si jam sit paratus ad peccandum? — In primo libro (*col. 86*, v. *Quaeritur*) relata est opinio Soti, Suarez et Azor, qui id negarunt. Sed in hoc dictum est, sequendum esse oppositum. Vide *Lib. II, n. 47*.

Qu. 9. An peccent graviter mulieres ad sui ornatum partem pectoris ostendentes? — In primo libro (*col. 89*, lit. *c* et *col. 250 in f.*) actum est de hoc puncto, sequendo doctrinam Laymann, Cajetani, Navarri, Salmant., etc. Sed vide quomodo limitetur in hoc. Vide *Lib. II, num. 55*, v. *Quaeritur*.

Qu. 10. An liceat famulo comitari herum ad lupanar, vel eum ducere curru

<sup>a)</sup> De hoc primo Elencho, vide Praefationem hujus editionis, *tom. I, pp. xv et xvi*.

<sup>b)</sup> Nisi aliter notetur, loci hic citati secundae editionis ad amussim respondent locis nostrae editionis.

<sup>c)</sup> Interdum accidit in duplici elencho ali-

quos auctores minus recte citari a S. Alphonso. Sed cum istae allegationes jam in decursu Operis correctae fuerint, locis citatis a S. Doctore, illas notas criticas hic repetere supervacaneum duximus.

<sup>d)</sup> Sed cfr. not. *h* ad *lib. 3. n. 544*.

vel sella? — In primo libro (*col. 94, lit. B*) relatata est opinio Busenbaum, Navarri, Manuelis, etc., dicentium, licere sola ratione famulatus. Sed in hoc requiritur saltem causa gravis damni subeundi. Vide *Lib. II, n. 64*.

Qu. 11. An liceat famulo ratione famulatus deferre munera meretrici domini? — In primo libro (*col. 94, v. Quær. 2*) relatata est opinio Busenbaum et Sanchez id permittentium, si sit de esculentis et poculentis. Sed in hoc negatur. Vide *Lib. II, n. 65*.

Qu. 12. An liceat famulo ob metum mortis subijcere humeros vel deferre scalam domino ascendenti ad fornicandum, aut vi aperire januam? — In primo libro (*col. 95, v. Quær. 4*) id omnino negatum est. Sed in hoc vide dicta *Lib. II, n. 66, v. Quær. 4*.

Qu. 13. An liceat vendere vinum ei qui vendet mixtum aqua? — In primo libro (*col. 94, v. Pariter*) adducta est opinio affirmativa Palai, Sanchez et Tamburini, si aequè commode aliis vendi non possit. Sed in hoc non admittitur, nisi ob metum mortis vel infamiae. Vide *Lib. II, n. 69, v. Illud autem e)*.

Qu. 14. An liceat vendere ornatus puellae abusuræ? — In primo libro (*col. 96, lit. D, v. Eodem modo*) relatata est opinio Croix citantis Navarrum, Azor, Sanchez, Bonacina, etc., qui dicunt licere, si illa aequè emeret ab aliis. Sed in hoc id non admittitur, nisi venditor notabile patiatur incommodum. Vide *Lib. II, num. 71, v. Eodem*.

Qu. 15. An liceat aurigis et nautis ob solum lucrum mercedis vehere meretricem ad amasium? — In primo libro (*c. 98, v. Licet*) dictum est, licere cum Salmant., Sanchez, Azor, Navarro, etc. Sed in hoc id non admittitur nisi ob metum gravis damni. Vide *Lib. II, num. 75, vers. An autem*.

Qu. 16. An sit peccatum mortale, sine gravi causa petere mutuum ab usurario parato, vel sacramentum a sacerdote peccatore parato ad ministrandum? — In primo libro (*col. 97, v. Utrum autem et v. Sed quaestio*) relatata est opinio Lugonis,

Soti, Sanchez, Cajetani, Ledesma, Manuelis, etc., qui id negarunt. Sed in hoc dictum est, id esse mortale tam contra charitatem quam contra justitiam, nisi gravis causa necessitatis vel utilitatis interveniat. Vide *Lib. II, num. 47 et 77, v. Licetum*, loquendo de usurario; et *n. 79*, de sacerdote peccatore.

Qu. 17. An volenti frangere jejunium liceat sine gravis incommodi causa cibos praebere? — In primo libro (*colon. 97, v. Volenti*) adducta est opinio Lessii, Cajetani, Navarri et Vasquez, id affirmantium. Sed in hoc reprobatur est. Vide *Lib. II, n. 80*.

Qu. 18. An in materia simoniae et usurae possit deduci in pactum obligatio antidotalis? — In primo libro (*colon. 118, v. Quaeritur*) dictum est cum Salmant., Valentia, Cajetano, Palao, Lessio, etc., id licere, si pactum sit remunerandi in genere, nulla addita nova obligatione. Sed id omnino reprobatur. Vide *Lib. III, num. 53 et 764, v. An autem*.

Qu. 19. An juramentum execratorium sit verum juramentum? — In primo libro (*col. 146, v. Notandum*) dictum est cum Salmant., Busenbaum, Sanchez, Palao, etc., id communiter negari. Sed in hoc affirmatur, si in juramento expresse nominetur Deus. Vide *Lib. III, n. 143*.

Qu. 20. An in juramento assertorio sit mortale jurare cum defectu justitiae? — In primo libro (*col. 148, v. Hoc certum*) dictum est, probabilius esse tantum veniale. Sed in hoc additur, esse mortale, si juratur ad firmandam detractionem. Vide *Lib. III, n. 146*.

Qu. 21. An peregrinus possit dispensari in votis, juramentis et legibus ab episcopo loci, ubi reperitur? — In primo libro (*col. 758, v. Nota hic*) id omnino negatum est. Sed vide hic *Lib. I, n. 158*,

Qu. 22. An maritus possit occidere eum qui vult cum sua uxore adulterari? — In primo libro (*col. 239, v. Quando*) id absolute negatum est. Sed in hoc id non reprobatur, si vir ante factum occidat, ne adulterium eveniat. Vide *Lib. III, n. 391, v. Si vero*.

Qu. 23. An peccent graviter spectatores, qui ad comoediam turpem concurrunt pecunia vel plausu? — In primo libro (*col. 251, v. Quær. 2*) dictum est, probabile esse, non peccare spectatores secundos, nempe sine quibus etiam comoedia repraesentaretur. Sed in hoc visum est oppositum. Vide *Lib. III, n. 427, v. Num autem*.

Qu. 24. An beneficiarius, expendens fructus beneficii superfluos ad suam sustentationem in usus profanos, teneatur ad restitutionem? — In primo libro (*col. 270, vide Utrum*) probabilior cum S. Thoma, Soto, Lugo, Palao, Lessio, etc. visa est opinio negativa. Sed in hoc probabilior diximus oppositam, per se loquendo. Vide *Lib. III, n. 492 f)*.

Qu. 25. An fur teneatur restituere cum damno graviore, nempe si res non posset mitti ad dominum, nisi expensis majoribus, quam sit valor rei? — In primo libro (*col. 295, v. Sed si*) adducta est opinio Salmant., Soti, Lessii, Palai, Coninck et Busenbaum, id negantium. Sed in hoc oppositum tenetur, nisi expensae sint longe majores. Vide *Lib. III, num. 598, 697 et 753*.

Qu. 26. An accipiens rem a fure, qui rem furatam cum suis permiscuit, teneatur ad restitutionem? — In primo libro (*col. 299, v. Sed quid*) adducta est opinio negativa Tamburini cum Sanchez et aliis. Sed in hoc omnino reprobatur. Vide *Lib. III, n. 612*.

Qu. 27. An beneficiarius omittens Officium uno die possit excusari a restitutione, si suppleat in alio? — In primo libro (*col. 310, v. Quær. 3*) relatata est opinio affirmativa Salmant., Molfesii, Paludani, Bonacinae, etc. Sed in hoc tenetur negativa. Vide *Lib. III, n. 667*.

Qu. 28. An beneficiarius, omittens partem Officii minorem quam integrae horae, teneatur ad restitutionem? — In primo libro (*col. 311, v. Quær. 5*) relatata est opinio negativa Navarri, Toleti et Viva. Sed in hoc verior visa est opposita. Vide *Lib. III, n. 668*.

Qu. 29. An beneficiarius simplex omittens Officium teneatur restituere omnes fructus beneficii? — In primo libro (*c. 312, v. Quid*) adducta est opinio Henriquez, Medina et Manuelis, qui dicunt, teneri ad restitutionem tantum tertiae partis fructuum. Sed in hoc illa reprobatur. Vide *Lib. III, n. 673, v. Quid*.

Qu. 30. An licitum sit donum accipere a donante debitis gravato? — In primo libro (*col. 327, v. Adde: neque*) relatata est opinio affirmativa Lessii, Molina, Navarri, Laymann, etc. Sed in hoc refutatur. Vide *Lib. III, n. 722*.

Qu. 31. An sit necessarium in mutuo ad exigendum interesse, ut moneatur mutuarius de justo titulo, qui jam adest? — In primo libro (*col. 343, v. Sed dubitatur*) delatum est opinioni negativae Lessii, Lugonis, Bonacina, Trullench, etc. Sed in hoc verior visa est affirmativa. Vide *Lib. III, n. 769, v. Sed dubitatur*.

Qu. 32. An mutuator possit retinere lucrum exactum, si aderat justus titulus, sed non monuit de eo mutuarium, et contraxit bona fide? — In primo libro (*col. 344, Qu. 3*) adducta est opinio affirmativa (licet tamquam minus probabilis) Lugonis, Diana, Sà et Tanner. Sed in hoc refutata est. Vide *Lib. III, n. 773*.

Qu. 33. An liceat res pretiosas quamplurimi vendere? — In primo libro (*c. 355, Qu. 1*) relatata est opinio affirmativa Soti, Toleti, Diana, Tanner, Valentia, Reginaldi, etc. Sed in hoc probabilior visa est contraria. Vide *Lib. III, num. 808, Qu. 2 s)*.

Qu. 34. An, facto monopolio injusto a mercatoribus, liceat aliis eodem pretio merces vendere? — In primo libro (*c. 357, v. Sed hinc*) relatata est opinio affirmativa Salmant., Bonacina, Trullench, Reginaldi, Medina, etc. Sed in hoc omnino melior visa est negativa. Vide *Lib. III, n. 817, v. Sed hic*.

Qu. 35. An liceat rem infimo pretio emere ab aliquo nesciente ejus valorem? — In primo libro (*col. 357, v. Idem*) amplexata est opinio negativa. Sed in hoc

f) Cfr. tamen 2 *Elench.*, qu. 10, ubi S. Doctor, ad trutinam revocans hanc quaestionem, non erubuit iterum se retractare.

s) Sed ibi S. Doctor probabilitatem non denegat opinioni affirmativae, sicuti neque in *Hom. Apost.*, tr. 10, n. 174.

e) Sed vide not. c ad lib. 2, n. 69.

defenditur opposita. Vide *Lib. III, n. 819, v. Idem.*

Qu. 36. An liceat clerico conducere prœdia aliena ad saginanda propria animalia, ut postea vendat? — In primo libro (*col. 361, v. Quæres*) dictum est licere, si conductio non afferat magnam distractionem a ministerio sacro. Sed in hoc id non admittitur, quia non caret cupiditate turpis lucri. Vide *Lib. III, n. 835, v. Sed dubitatur.*

Qu. 37. An pereunte re censita pereat census de jure naturali? — In primo libro (*col. 366, v. Quæer. 3*) dicta est probabilis sententia negativa cum Soto, Palao, Salmant., Covarruvias, etc. Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam. Vide *Lib. III, n. 847, Dub. 1.*

Qu. 38. An cogens cum injuria alterum ad ludendum possit retinere lucratum? — In primo libro (*col. 375, vers. Quæer.*) adducta est opinio negativa. Sed in hoc probabilior visa est sententia affirmativa, modo ille qui cogit, non superet coactum in peritia ludendi. Vide *Lib. III, n. 880.*

Qu. 39. An sit gravis obligatio relinquendi sua bona suis fratribus et sororibus? — In primo libro (*col. 398, vers. Quæritur*) relata est opinio Salmant., Navarri, etc., dicentium non esse, nisi illi extreme indigeant. Sed in hoc diximus, omnino tenendum, peccare graviter relinquentem bona extraneis, si fratres graviter indigeant. Vide *Lib. III, n. 946.*

Qu. 40. An liceat revelare crimen alterius ad vitandum damnum proprium, si notitia criminis vi aut dolo excipiat? — In primo libro (*col. 407, v. Sed hic*) dicta est probabilis opinio affirmativa cum Salmant., Lessio et Petro Navarra. Sed in hoc melior visa est opposita. Vide *Lib. III, n. 969, v. Sed hic magna.*

Qu. 41. An, qui alteri occultam contumeliam irrogavit, teneatur ad satisfactionem? — In primo libro (*col. 410, vers. Sed quaeritur*) relata est opinio negativa

Laymann et Molina. Sed in hoc diximus, omnino sequendam affirmativam. Vide *Lib. III, n. 985.*

Qu. 42. An laedant jejunium electuaria sumpta in modica quantitate ad delectationem? — In primo libro (*col. 419, lit. f*) adducta est opinio negativa cum Salmant., Silvestro et Abulensi. Sed in hoc dictum est, contrariam omnino tenendam. Vide *Lib. III, n. 1019.*

Qu. 43. An potio chocolatis possit sumi toties quoties in die. — In primo libro (*col. 425, v. Notandum*) dicta est probabilis opinio affirmativa Patris Viva, si sumatur ut potus usualis. Sed in hoc talis potio non admittitur nisi pro uno tantum cyatho in die, ratione consuetudinis. Vide *Lib. III, n. 1023, v. Accedit.*

Qu. 44. An religiosus, expendens cum licentia generali praelati ad usus illicitos, peccet contra paupertatem et teneatur ad restitutionem? — In primo libro (*c. 450, v. Quæstio*) vocata est non improbabilis sententia negativa cum de Alexandris Suarez, Bañez, Lugo, etc. Sed in hoc affirmativa amplexata est. Vide *Lib. III, n. 873 et Lib. IV, n. 31.*

Qu. 45. An patronus debeat praesentare digniores ad beneficium curatum? — In primo libro (*col. 469, Quæritur 2*) dicta est probabilis opinio negativa cum Palao, Garcia, Petri Navarra, Rodriguez, etc. Sed in hoc dictum est, omnino tenendam affirmativam. Vide *Lib. IV, n. 97.*

Qu. 46. An episcopus conferens beneficium simplex minus digno peccet mortaliter? — In primo libro (*colon. 291, Quæer. 2*) delatum est sententiae negativæ cum Navarro, Sà, Soto, Dicastillo, Gutierrez, Diana, etc. Sed in hoc probabilior dicta est affirmativa. Vide *Lib. IV, n. 93<sup>h)</sup>.*

Qu. 47. An episcopus conferens beneficium curatum minus digno teneatur ad restitutionem? — In primo libro (*c. 292, v. Magis*) probabilis visa est opinio negativa Navarri, Henriquez, Ledesma, etc.

Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *Lib. IV, n. 109<sup>i)</sup>.*

Qu. 48. An graviter peccet et teneatur ad restitutionem, qui recipit beneficium curatum cum animo dubio vel conditionato suscipiendi sacerdotium infra annum? — In primo libro (*col. 471, vers. Quæer.*) adducta est opinio negativa Navarri, Barbosa, Garcia, etc.; item opinio Salmant., qui eam admittunt tantum, si animus est conditionatus. Sed in hoc melior visa est opposita, sive animus sit dubius sive conditionatus. Vide *Lib. IV, n. 114.*

Qu. 49. An pluralitas beneficiorum sit vetita non solum de jure canonico, sed etiam naturali? — In primo libro (*c. 473, v. Secunda*) dicta est probabilis opinio negativa cum Lapo, Innocentio, Filliuccio, Valentia, etc. Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam, nisi accedat dispensatio pontificia et justa causa. Vide *Lib. IV, n. 117.*

Qu. 50. An possit sine peccato gravi permutari Officium divinum in aliud notabiliter brevius? — In primo libro (*c. 494, v. Pro clariori*) dicta est probabilis opinio affirmativa (excepto officio Palmarum cum officio Paschæ vel Pentecostes), ut tenent Silvester, Salmant., Villalobos, Diana, etc. Sed in hoc non est admissa ut probabilis. Vide *Lib. IV, n. 161, Qu. 3.*

Qu. 51. An Matutinum possit recitari duabus horis post meridiem? — In primo libro (*col. 496, v. Oportet*) probabilis dicta est opinio affirmativa cum Salmant., Sanchez, Tamburinio, Molfesio, Ledesma, etc. Sed in hoc dictum est, tenendam esse oppositam. Vide *Lib. IV, n. 174, Qu. 1.*

Qu. 52. An peccata multiplicentur ex diversitate objectorum totalium, nempe si quis uno ictu occidit quatuor homines? — In primo libro (*col. 564, v. An autem*) dicta est probabilis opinio negativa cum Suarez, Lugo, Busenbaum, Viva, etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *Lib. V, n. 45.*

Qu. 53. An confessarius in mortali successive absolvens plures poenitentes

unum peccatum committat? — In primo libro (*col. 563, v. Quoad actus*) visa est probabilis opinio affirmativa cum Salmant., Lugo, Viva, Sporer, etc. Sed in hoc reprobata est. Vide *Lib. V, n. 50, Qu. 6.*

Qu. 54. An citra infamationem possit quis dissolvere amicitiam alicujus, narrando ejus defectus naturales, ut ipse succedat loco expulsi? — In primo libro (*col. 576, v. An citra*) relata est opinio affirmativa Salmant., Soti, Bonacina, Aragon, Prado, etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *Lib. V, n. 72, v. An citra.*

Qu. 55. An liceat se inebriare ex consilio medicorum, si inebriatio aestimatur necessaria ad morbum expellendum? — In primo libro (*col. 577, v. Non est*) adducta est opinio affirmativa Busenbaum, Silvestri, Cajetani, Lessii, Salmant, etc. Sed vide, quomodo in hoc limitata sit. *Lib. V, n. 76, Qu. 1.*

Qu. 56. An liceat se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minuitur? — In primo libro (*col. 577, v. Nec item*) dicta est probabilis opinio affirmativa Lessii, Laymann, Bonacina, Busenbaum, etc. Sed in hoc amplexata est negativa. Vide *Lib. V, n. 76, Qu. 2.*

Qu. 57. An satisfaciatur, qui se confitetur tempore Missæ? — In primo libro adducta est opinio affirmativa Palai, Hurtadi, Croix, Pichler, Gobat, etc., modo aliquo modo attendat simul ad Missam. Sed in hoc amplexata est negativa. Vide *Lib. III, n. 314, Qu. 2.*

Qu. 58. An liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri, si monasterium sit opulentum? — In primo libro (*col. 130, v. Sed quaeritur*) relata est opinio affirmativa Salmant., Navarri, Toleti, Palai, Sanchez, Bonacina, Soti, etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *Lib. III, n. 92, v. Secunda.*

Qu. 59. An in sacramento Baptismi aqua sit infundenda, dum actu dicitur: *Te baptizo?* — In prima editione (*col. 585, v. Item*) affirmatum est. Sed in hac secunda probatum est sufficere, quod forma

<sup>h)</sup> Ibi S. Alphonsus (jam a secunda edit.) explicite vocat probabilem sententiam negativam. Postea tamen (an. 1759), in *Hom. Apost.*,

*tr. 13, num. 33*, sic scripsit: « Hanc sententiam [negativam] non puto improbabilem sed existimo certe probabiliorem contrariam ».

<sup>i)</sup> S. Doctor, *loc. cit.*, non audet dicere improbabilem sententiam negativam. Et, *Hom. Apost.*, *tr. 13, n. 37*: « Hanc sententiam, in-

quit, mihi animus non est uti probabilem probare, sed nec ut improbabilem audeo damnare ».

proferatur, antequam materia desistatur applicari. Vide *Lib. VI, n. 9, v. Quaeritur*.

Qu. 60. An omnes materiae et formae sacramentorum sint a Christo determinatae in specie? — Negatum est in priori libro (*col. 804, v. Quaer. 3*). Sed in hoc secundo oppositum probabilius visum est, *Lib. VI, n. 12* <sup>1)</sup>.

Qu. 61. An peccet graviter minister conferens sacramenta in mortali, etiamsi ad illud non sit specialiter ordinatus, vel si solemniter non ministret? — Negatum est in priori libro (*col. 594, v. Est certum et 595, v. Certum*). Sed hic affirmatur, *Lib. VI, n. 32* <sup>1)</sup>.

Qu. 62. An peccet graviter sacerdos ministrans Eucharistiam in mortali? — In priori libro (*col. 655, v. An autem*) probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutamur, *Lib. VI, n. 35*.

Qu. 63. An minister possit dare sacramentum indigno ob metum mortis? — In priori libro (*col. 596, v. Dub. 5*) probabilis visa est sententia affirmativa. Sed hic negativam tenemus, *Lib. VI, n. 49*.

Qu. 64. An clericus habituatus in vicio turpi vel alio, volens ascendere ad ordinem sacrum, possit absolvi ex simplicibus signis extraordinariis, tantum sufficientibus ad sacramentum Poenitentiae suscipiendum? — In priori libro (*col. 598, v. Quaeres*) affirmatum est. Sed hic negatur, nisi valde extraordinaria signa accedant, quae probitatem positivam ordinandi ostendant. Vide *Lib. VI, in dissert. ex n. 63*.

Qu. 65. An sacerdotes ordinentur per solam manuum impositionem? — In priori libro (*col. 806, v. Quaeritur*) negavimus. Sed hic affirmativam sententiam probabilioris censemur, *Lib. VI, n. 749*.

Qu. 66. An moribundus, qui mane communicavit, possit eadem die sumere viaticum, adveniente morbo? — In priori libro (*col. 668, v. Prima*) probabilem diximus sententiam tam affirmativam quam negativam. Sed hic distinguimus, si morbus sit naturalis aut violentus, *Lib. VI, n. 285, Dub. 3*.

Qu. 67. An sacerdos negligens dicere Sacrum promissum, parvo stipendio accepto, graviter peccet? — In priori libro (*col. 677, v. Utrum*) diximus probabilem sententiam negativam. Sed hic affirmativam tutamur, *Lib. VI, n. 317, Qu. 3*.

Qu. 68. An episcopus possit moderari numerum Missarum a testatore praescriptarum? — In priori libro (*col. 680, v. Si non*) dictum est posse, si fructus congruentes non percipiantur. Sed hic negatur, *Lib. VI, n. 331, Dub. 1*.

Qu. 69. An liceat privatim celebrare in die Coenae Domini? — In priori libro (*col. 687, lit. E*) adhaesimus sententiae affirmativae. Sed hic dicimus omnino tenendam negativam, *Lib. VI, n. 350*.

Qu. 70. An altare amittat consecrationem, si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum reliquiis? — In primo libro (*col. 693, v. Quaeritur*) probabile dictum est, non amittere. Sed hic oppositum tenendum probamus, *Lib. VI, n. 369, Dub. 2*.

Qu. 71. An sufficient duae mappae in altari vel una duplicata? — In priori libro (*col. 697, lit. c*) affirmavimus. Sed hic contrarium tenendum dicimus, *Lib. VI, n. 375, Dub. 1*.

Qu. 72. An aqua lotionis corporalium possit projici alio quam in sacrarium? — In priori libro (*col. 699, v. Notat 2*) dictum est sufficere, si projiciatur in decentem locum. Sed hic contrarium probamus, *Lib. VI, n. 387*.

Qu. 73. An abbates possint consecrare calices pro ecclesiis alienis? — In priori libro (*col. 699, v. Nota hic*) relata est sententia affirmativa. Sed hic oppositam tenendam dicimus, *Lib. VI, n. 381*.

Qu. 74. An pyxis debeat benedici? — in priori libro (*col. 698, lit. h*) retulimus sententiam negativam. Sed hic oppositam probamus, *Lib. VI, n. 385*.

Qu. 75. Si post sumptionem sacerdos prudenter dubitat an vinum fuerit acetum, an rursus consecrare debeat utramque materiam sub conditione? — Hic affirmandum probamus (*Lib. VI, n. 206, v. Quoad*);

quidquid dictum sit in priori libro [*col. 638, v. Non est*].

Qu. 76. A quo episcopo debeant approbati confessarii? — In priori libro (*col. 747, lit. E*) dictum est, probabiliter posse approbati etiam ab episcopo confessarii aut poenitentis. Sed hic (*Lib. VI, n. 548*) dicimus, omnino approbandos ab episcopo loci.

Qu. 77. Doctor consultus a confessario an teneatur ad sigillum? — In priori libro (*col. 777, v. At Palaus*) diximus, probabiliter non teneri. Sed hic oppositum tuetur, *Lib. VI, n. 648*.

Qu. 78. An mutus teneatur confiteri scripto? — In priori libro (*col. 726, lit. b*) probabilis visa est sententia negativa. Sed hic dicimus, teneri, si commode potest, *Lib. VI, n. 479, v. Quaeritur*.

Qu. 79. An in jubilaeo confessio debeat fieri in eadem hebdomada, in qua perficiuntur opera, ut possit poenitens absolvi a reservatis? — In priori libro (*col. 743, v. Licet*) adhaesimus opinioni negativae. Sed hic oppositum tenemus, *Lib. VI, n. 537, Qu. 1*.

Qu. 80. An, qui in jubilaeo confessus est invalide, possit deinde a quolibet absolvi? — In priori libro (*col. 743, v. Si quis*) relata est opinio affirmativa. Sed hic negativam sustinemus, *Lib. VI, n. 537, Qu. 2*.

Qu. 81. An parochus in aliena dioecesi possit excipere confessiones alienorum ex licentia illorum parochi? — In priori libro (*col. 746, v. Notatur*) affirmavimus. Sed hic negamus, *Lib. VI, n. 544, Dub. 1*.

Qu. 82. An simplex sacerdos possit absolvere moribundum, praesente confessario approbato? — In priori libro (*col. 752, v. Adest*) relata est sententia affirmans, quam hic rejicimus, *Lib. VI, n. 562*.

Qu. 83. An ignorans reservationem casus episcopalis eam incurrat? — In priori libro (*col. 757, v. His tamen*) diximus probabilem sententiam negativam. Sed hic eam reprobamus, *Lib. VI, n. 581, Dub. 1*.

Qu. 84. An absoluti indirecte a peccato reservato in casu necessitatis a non

habente facultatem teneantur postmodum episcopo se praesentare? — In priori libro (*col. 936, v. An autem*) negavimus. Sed hic observa distinctionem allatam, *Lib. VII, n. 91*.

Qu. 85. An confessarius errans culpabiliter circa valorem sacramenti teneatur monere poenitentem de errore, etiam cum gravi suo incommodo? — In priori libro (*col. 766, v. Distinguunt*) probabilem diximus sententiam negativam. Sed hic affirmativam tenemus, *Lib. VI, n. 619*.

Qu. 86. An possit absolvi a simplici confessario peregrinus habens casum reservatum in loco confessionis tantum, et non in patria? — In libro priori (*col. 758, v. Quaer.*) relata est opinio affirmativa. Sed hic eam refutamur, *Lib. VI, n. 588*.

Qu. 87. An, qui confessus est superiori et oblitus fuerit reservati, remaneat ab illo directe absolutus? — Hic probabilius negatur, *Lib. VI, n. 597*; quidquid in priori libro (*col. 756, v. Qui confitens*) dictum sit <sup>2)</sup>.

Qu. 88. An incurrat suspensionem, qui ordinatur cum patrimonio donato, sed data antapocha vel fide de reddendo illo donanti? — In priori libro (*col. 829, v. Sed dubitatur*) dicta est probabilis opinio negativa. Sed hic (*Lib. VI, n. 822*) observa distinctionem tenendam, nempe si donans habuerit veram vel ne voluntatem donandi.

Qu. 89. Si quis post contracta sponsalia cum una ducat aliam, an hac defuncta teneatur ducere primam? — In priori libro (*col. 845, v. Quod*) dictum est, probabiliter non teneri. Sed hic contrarium sustinetur, *Lib. VI, n. 875, v. Dubium*.

Qu. 90. An, si quis fecte contraxit matrimonium, ad illud revalidandum sufficiat, ut ipse solus apponat consensum? — Hic (*Lib. VI, n. 1114*) sententia affirmativa verior dicitur; quamvis in priori libro (*col. 899, v. Hinc*) non fuerit admissa.

Qu. 91. An sit nulla dispensatio super impedimento inter propinquos, si tacetur copula inter ipsos praehabita? — In priori libro (*col. 904, v. Quaer. 3*) opinio nega-

<sup>1)</sup> S. Doctor, *loc. cit.*, admittit tamen probabilitatem sententiae negativae.

<sup>2)</sup> Sed vide *2 Elench. qu. 20*.

tiva probabilis visa est. Sed hic (*Lib. VI, n. 1134*) omnino rejicitur, etiamsi copula non fuerit habita ad facilius obtinendam dispensationem.

Qu. 92. An simplex sacerdos possit absolvere a venialibus et ab excommunicatione minori? — In priori libro (*col. 746, lit. A, et col. 928, v. Certum*) opinio affirmativa, licet non fuerit admissa, non tamen omnino rejecta est. Sed hic (*Lib. VII, n. 71*) omnino rejicitur ob decretum Innocentii XI.

Qu. 93. An absolutus ab episcopo in necessitate a casu papali propter impedimentum temporale excusetur ab adeundo Romam, si parti jam satisfecerit? — In priori libro (*col. 933, v. Sed hic*) dictum est, probabiliter excusari. Sed hic omnino teneri dicimus, *Lib. VII, n. 87*.

Qu. 94. An habens casum papalem publicum, si punitus fuerit ab aliquo episcopo, possit absolvi ab alio? — In priori libro (*col. 930, v. Hinc*) opinio affirmativa probabilis visa est. Sed hic contrariam veriorum dicimus, *Lib. VII, n. 77*.

Qu. 95. An episcopi possint absolvere a papalibus occultis extra confessionem? — In priori libro (*col. 942, v. Probabilis*) relata est opinio affirmativa. Sed hic (*Lib. VI, n. 593, v. Hic autem*) illam refutam ex declaratione Gregorii XIII.

Qu. 96. An liceat rescribere ad excommunicatum? — In priori libro (*col. 964, v. Dubitatur*) dictum est, probabiliter licere. Sed hic negamus, *Lib. VII, n. 193*. — An autem liceat excommunicatum resalutare? In priori libro (*col. 965, v. Dubitatur II*) opinionem affirmativam diximus absolute probabilem. Sed hic (*citato n. 193*) oppositam censemus probabiliorum, licet primam non damnemus.

Qu. 97. An duellum possit acceptari, ne incurratur magna et certa iactura bonorum? — Quidquid dictum sit cum Salmant., in priori libro (*col. 970, lit. A*), hodie haec opinio damnata est a Benedicto XIV. Vide *Lib. III, n. 400, prop. 4*.

Qu. 98. An parentes possint cogere puellam ad ingressum in monasterium causa educationis? — In priori libro (*c. 983, in princ.*) probabilis dicta est opinio affirmativa. Sed hic (*Lib. VII, n. 212, Dub. 1*) opposita absolute probabilior visa est, nisi puella sit in periculo incontinentiae.

Qu. 99. An incurrat irregularitatem ratione bigamiae, qui contrahit duo matrimonia nulla, vel qui ficte secundum matrimonium init ad copulam extorquendam? — Hic (*Lib. VII, n. 446 et 447*) dicimus affirmandum; quidquid in priori libro (*col. 1024, v. Quaeritur*) dictum fuerit.

#### ADDUNTUR ALIAE RECENTES RETRACTATIONES

*opinionum quae in praecedenti editione recensentur*<sup>1)</sup>.

Quaer. 1. Si quis probabiliter iudicet, se implevisse votum, Horas canonicas sive poenitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit vel dubium, non implevisse? — Negant plures auctores (*Lib. I, n. 29*). Sed oppositum est tenendum, quia possidet obligatio jam contracta, donec certe non fuerit impleta<sup>m)</sup>.

Quaer. 2. An declarationes S. C. Cardinalium vim legis habeant? — Plures auctores negant, nisi editae sint, non solum consulto Pontifice, sed etiam mandante, ut ipsae solemniter per totam Ecclesiam promulgentur (*Lib. I, n. 106, Qu. 2*). Addendum tamen est, quod huiusmodi declarationes, quae jam in Ecclesia univer-

<sup>1)</sup> Nimirum in quinta editione, anni 1763. Hic enim secundus elenchus a S. Alphonso compositus fuit anno 1765 (cfr. Lettere di S. Alfonso, corrisp. speciale, epist. 164), et prima vice prodit in sexta editione Theolo-

giae moralis (1767), complectens viginti tres quaestiones. Postea vero S. Doctor in octava editione (1779) tres alias quaestiones inseruit, nempe quaestiones 15, 16 et 26.

<sup>m)</sup> Cfr. infra, notam o.

saliter divulgatae et facto sic promulgatae fuerint usu plurium annorum vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hae satis omnes fideles obstringunt.

Quaer. 3. An episcopus dispensare possit in statutis canonicis, in quibus dispensatio reservata non sit? — Visa fuit prius satis probabilis sententia affirmativa cum Soto, Covarruvia, Castropalao, Bonacina et S. Antonino. Sed re melius perpensa, videtur negativa omnino tenenda ex *clement. 2, de elect.*, ubi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*. Cui congruit cap. *Dilectus, de temp. ordin.* Vide *Lib. I, n. 191*.

Quaer. 4. An delegatus principis vel delegatus ad universitatem causarum possit subdelegare? — Affirmatur, *Lib. I, n. 193*. Sed hoc est limitandum iuxta id quod dicitur, *Lib. VI, n. 566*, nempe hoc intelligi, cum delegatio facta est tamquam per officium, aut cum delegatur alicui jurisdictio ut privilegium perpetuo suo officio sive dignitati annexum.

Quaer. 5. An cesset lex, cessante fine legis in particulari? — Allata est sententia quae id probabile vocat, hancque tenent Salmant. et Viva cum Cajetano, Silvestro, Panormitano, Valentia, Sa, Cardenas, Navarro, Abbate, Comitolo et aliis (*Lib. I, n. 199*). Sed hic advertendum quod haec opinio vix unquam in praxi probabilis erit, quia vix unquam eveniet quod in particulari omne hallucinationis periculum cesset.

Quaer. 6. Si quis ex intentione furandi centum aureos surripiat eos, centenis vicibus moraliter interruptis, an tunc centum peccata perpetret? — Dictum fuit, (*Lib. V, n. 44*) probabile esse unum furtum sive peccatum committi. Sed, melius re perpensa, dicendum, huiusmodi furta esse centum distincta peccata mortalia, cum unumquodque furtum distinctam malitiam in se contineat.

Quaer. 7. Actus charitatis erga Deum eliciendus est saltem semel in mense, ut dicitur, *Lib. II, n. 8*. Addendum est quod eodem modo, nempe semel saltem in mense, teneamur pariter elicere actum charitatis erga proximum. Alioquin difficulter hoc praeceptum charitatis erga proximum observare valebimus.

Quaer. 8. Dictum est, *Lib. III, n. 244*, non videri improbabile cum Lessio, Salmant., Bonacina, etc. quod ab ipso volente possit commutari votum in aequale. Sed dicendum cum S. Thoma, Cajetano, Suarez et aliis, esse multum probabilius, quod non possit; quia Deus potius vult rem promissam quam aliam.

Quaer. 9. Dicunt plures DD. apud Busenbaum (*Lib. III, n. 381*), licere viro honorato occidere aggressorem conantem alapam ei impingere. Sed ibi addendum id quod sapienter docet Silvius (*in 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, qu. 64, art. 7, qu. 9, concl. 2*): *Etiam si honor sit bonum praestantius quam divitiae, aut nullum aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris liceat aggressorem interficere*.

Quaer. 10. An beneficiarii expendentes redditus beneficii superfluos in usus profanos teneantur ad restitutionem? — *Lib. III, n. 492*, exposita fuit sententia affirmativa tamquam valde probabilior. Sed, peracta meliori consideratione, sententia negativa videtur non minus probabilis in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem D. Thomae. Vide *cit. n. 492*.

Quaer. 11. Si quis furatus sit rem, cujus dominus est incertus, cui restituere debet? — *Lib. III, num. 589*, dictum est, restitutionem faciendam esse pauperibus aut locis piis cujuscumque loci. Sed huic plures addendae sunt limitationes, quas loco citato vel paulo post invenies.

Quaer. 12. Utrum, si crimen aliquod est publicum in quodam loco, possit sine culpa, saltem gravi, manifestari in alio, ubi illud est adhuc occultum? — Dictum fuit cum Lugo, Cajetano, Navarro, Salmant., etc. communissime contra alios, sententiam affirmativam esse valde probabilem. Sed vide *Lib. III, n. 974*, ubi nunc sententia limitatur tantum pro delictis illis quae delinquentem aliis perniciosum efficiunt.

Quaer. 13. An in die jejunii notabiliter antevertens sine justa causa horam meridianam graviter peccet? *Lib. III, n. 1016*, dictum fuit cum Lessio, Toletto, Bonacina, Laymann, Salmant., Castropa-

lao etc., probabiliorem esse negativam sententiam. Sed, re melius ad trutinam revocata, dicimus cum Azor, Sanchez, Navarro, Silvestro, affirmativam omnino tenendam <sup>n)</sup>.

Quaer. 14. An episcopus possit lites transigere super bona ecclesiae vertentes? *Lib. IV, n. 187, Nota I*, dictum est, non posse. Sed hoc intelligendum tantum, quando ecclesia ob transactionem deberet aliquid de rebus possessis cedere: secus, si nihil cederet de possessis.

Quaer. 15. Si votum sit certe emisum, sed tantum probabiliter impletum, utrum vovens teneatur omnino votum implere? — Negant plures auctores nempe, Lugo, Roncaglia, Salmant., cum Laymann, etc. Sed censeo cum Concina, Antoine, etc., votum implendum esse: cum enim votum est certum, possidet obligatio implendi votum. Vide *Lib. I, n. 29* <sup>o)</sup>.

Quaer. 16. An teneatur poenitens confiteri mortale peccatum certe commissum, si tantum probabiliter reputet, se illud confessum fuisse? — Negant Suarez, Lugo, Salmant. et alii. Sed dico cum Concina et aliis, eum teneri peccatum illud clavibus subjicere, cum dubia sit confessio, et certa sit confessionis obligatio. Sed vide, quod dicitur *Lib. VI, n. 477* <sup>o)</sup>.

Quaer. 17. An liceat conferre sacramentum sub conditione, absque eo quod conditio ore exprimatur? — *Lib. VI, n. 29*, affirmatum est cum Contin. Tournely, Roncaglia, Palao et aliis communissime. Sed quia non desunt aliqui, ut Gonet, Juenin, Contenson, Serry, etc., qui tenent (licet parum probabiliter), valorem sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione sacramenti serio peracta, tutius est, conditionem etiam verbis exprimere.

Quaer. 18. An teneatur quis confiteri peccatum mortale certe commissum, si postea sit in dubio, an illud fuerit vel ne confessus. — *Lib. VI, num. 477*, di-

ctum fuit, non teneri, si credat se probabiliter peccatum confessario jam exposuisse. Sed nunc teneri dicimus, quia, sicut certa fuit obligatio confitendi, ita certa debet esse confessio. Vide tamen *cit. n. 477* <sup>o)</sup>.

Quaer. 19. An sacerdos ab Ecclesia abscissus, uti si esset haereticus, schismaticus aut excommunicatus vitandus, possit absolvere eos qui sunt in periculo mortis, si alius desit? — *Lib. VI, n. 560*, probata fuit sententia negativa. Sed nunc probamus contrariam cum Silvio, Collet, Silvestro, Cano, etc.

Quaer. 20. An si poenitens confessus sit superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde a quolibet confessario de illo absolvi? — *Lib. VI, n. 597*, probavimus sententiam negativam. Sed nunc ex auctoritate Pontas, Collet et signanter Silvii, qui affirmativam cum Silvestro, Navarro, Adriano, Angelo, Covarruvias, et pluribus aliis pro certa habet, eam reprobare non possumus.

Quaer. 21. An inhabilitas ad celebrandum, quam incurrunt confessarii sollicitantes, incurratur ante sententiam? *Lib. VI, n. 705*, affirmatur. Sed nunc vide id quod dicitur in hac editione *num. citato*.

Quaer. 22. An episcopi possint absolvere ab excommunicatione eos qui tentaverunt extrahere delinquentes ab ecclesia? — *Lib. I, Appenâ. de Privilegiis, n. 28* affirmatum est. Sed nunc oppositum tenendum cum Fagnano, qui id probat. Vide *loc. cit.*

Quaer. 23. In *Praxi confessarii* dicitur, *n. 287*, episcopis eorumque delegatis concessam esse facultatem impertiendi indulgentiam plenariam infirmis eam peccatis in articulo mortis. Addendum, ad hoc requiri, ut episcopi hanc facultatem a summo Pontifice expostulent et obtineant.

Quaer. 24. In *Examine ordinandorum, num. 98*, dicitur, ex rubrica illicitum esse in Missa adhibere vinum, quod

*incipit acescere*. Adverte ibi, quod additum est.

Quaer. 25. In eodem *Examine, n. 122*, dicitur, dubium esse, an sit probabilis opinio, quod celebrare sine cruce non sit mortale. Sed, re maturius perpensa, nunc satis probabilis mihi videtur, cum inter DD. sit communis; nec certum habetur fundamentum in oppositum.

Quaer. 26. An calix, si denuo inauretur, denuo sit consecrandus? — *Lib. VI, num. 370, Dub. 2*, probabilius censui negandum cum Laymann, Lugo, etc. Sed, re melius perpensa, nunc puto cum Ferraris, Suarez, etc., probabilius iterum calicem esse consecrandum. Vide annotationem ultimo loco adjunctam, *loc. cit.*

LAUS JESU NOSTRO REDEMPTORI  
ET MARIAE IMMACULATAE NOSTRAE REGINAE ET MATRI.

<sup>n)</sup> Cfr. *lib. 3, n. 1016*, not. a.  
<sup>o)</sup> Quaestiones 15 et 16 additae fuerunt in octava editione. Sed id forte oblivioni tri-

buendum erit, nam jam in sexta editione S. Alphonsus illas retractationes annotaverat, in *qu. 1 et 18*.